

6 Moronitarum, à quodam Moronite hæretico, qui vnam tantum in Christo voluntatem ponunt. Hi sunt militares viri, Campanis, vt nos vtuntur. Libyam incolunt, & Phœniciam. Lingua vtuntur Arabica.

7 Armeniorum, à loco vbi habitant, scilicet prope Antiochiam, & in vtraque Armenia. Habent suum Catholicum, cui parent omnes: vulgari sermone in Ecclesia & officio faciendo vtuntur, vt omnes intelligant quæ geruntur. Ieiunant quadragesimam: die tamen veneris carnes edunt. Sacerdotes eorum habent coronas in capite rotundas, alij quadratas. Hierosolymam quotannis votiua peregrinatione veniunt, magni exercitus instar erectis vexillis.

8 Georgianorum, à beato Georgio, cuius imaginem in præliis & vexillis ferunt. Mediam & Persiam, & Caspium mare incolunt. Lingua Græca vtuntur, & eorum more administrant sacramenta. Fœminæ barbâ habent, vt viri. Sacerdotes coronas in capite rotundas, alij quadratas. Magni exercitus instar Hierosolymam quotannis votiua peregrinatione veniunt erectis vexillis.

9 Suranorum, à Sur ciuitate in Assyria. Lingua vulgari vtuntur Saracénica in officiis Missæ. Græco more cõficiunt in fermêto. Horum ritus sequuntur quidam in terra sancta, qui dicuntur Samaritani. Obediunt Græcis, quorum doctrinam in multis amplectuntur.

10 Mozarabum. Hi partim sunt in Africa, partim in Hispania, ex Arabia profecti. Vtuntur in officiis lingua Latina, & Romanæ ecclesiæ parent. Cõficiunt in azymis, in multis tamen à Latinis dissentiunt. Inter suæ tantum gentis homines coniungunt. Singulis horis singulos Psalmos dicunt.